



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Illvstrivm Miracvlorvm Et Historiarvm Memorabilivm Lib. XII

Caesarius <Heisterbacensis>

Antverpiae, 1605

De largitate pauperibus famis tempore, à domo vallis sancti Petri exhibita,
cap. 65

urn:nbn:de:hbz:466:1-13177

*Multis
domona-
stiorū
exoptan-
da.*

DVM conuentus noster à Domino Philippo Archiepiscopo super mōtem Stromberg vocaretur, quidam homines prouinciales hæredibus suis timentes, illum arguerunt. Quibus ipse respondit verbum bonum, verbum sanctū: Vtinam, inquit, esset in qualibet villa diœcesis meæ conuentus iustorū, qui & Deū iugiter laudarent, & tam pro me quā pro mihi commissis orarent; puto quia tunc melior multo esset status ecclesiæ meæ, quam modò sit: nulli nocerent, cum multis prodesse; aliena non rapiunt, cum sua omnibus impertiantur.

CAPVT LXV.

*Ex eis
pauperes
aluntur.*

EO tempore, quo fames illa validissima, quæ anno Dominicæ incarnationis 1197. fuit, & plurimos extinxit, domus nostra, licet tunc temporis pauper fuerit ac nouella, multis subuenit, sicut dixerunt hi, qui numerum inopum ante portam considerauerunt: aliquando vna die mille quingentis eleemosynæ datæ sunt. Dominus Geuardus, tunc Abbas, singulis diebus ante messem, in quibus carnibus vti licebat, bouem vnum in tribus caldarijs, cum oleis circumquaque collectis, coqui iussit, & cum pane per singulos pauperes diuisit. Simile factum est de omnibus alijs pulmētarijs, sicque per gratiā Dei omnes pauperes superueniētes vsque ad messem sustentati sunt. Et, sicut audiui de ore iā dicti Geuardi Abbatis, cū timeret ne fortè annona pauperum ante tēpus deficeret, & pistorē pro eo, quod panes nimis magnos faceret, argueret, respōdit ille: Credite mihi domine, in pasta valde parui sunt, & in fornace crescunt, parui immittuntur, & magni extrahuntur. Retulit mihi idē pistor, frater scilicet Cōradus Rufus, qui adhuc viuit, quia non solum panes in fornace, imò etiam farina creuerit in fassis & in vasis, ita vt pistorēs omnes mirarentur, nec non & pauperes, qui inde nutriebantur. Dicebant enim: Domine Deus, vnde venit omnis annona ista? Eodē anno diues dominus, charitatē seruorum suorum etiam in hac vita per centuplum remuneravit.

*Eleemo-
syna di-
tāt lar-
gentem,
etiam in
tempora-
tibus.*

nerauit. Nā magister Andreas Spirensis per pecunias, quas in curia Frederici Imperatoris, nec nō & in Græcia cōgregauerat, magnū allodiū in Blitirsdorf emit, & nobis in elemosynam dedit. Vnde talis voluntas, nisi à Deo?

CAPVT LXVI.

E Odem tempore domus in Hemmenrode, mater nostra, non minorem charitatem, imò tãto maiorem, quanto ditior fuit, pauperibus exhibuit. Tanta enim fames pauperes premebat, vt mulieres pregnantes ante portam in nemore pariendi tempora implerent. Christus verò non immemor promissi: *Luc. 6.* Date, & dabitur vobis, quia largierant in dando, largam illis misit elemosynam, Gerardus enim Præpositus sancti Simeonis in Treueri moriens, circa ducetas libras argenti illis legauit, ex quibus centum ad portam in vsus pauperum sequestrauit. Portarius centum libras suas recipiens, non ex eis vineas, vel agros, sed totidem maldra siliginis apud Confluentiã comparauit, quibus satis sufficiēter, vsque ad messem, pauperes sustentauit.

CAPVT LXVII.

R Etulit mihi frater Godeschalcus de * Fulmensteine, monachus noster, post eadem cara tempora, Cellerarium quendam ordinis nostri de Westphalia occurrisse sibi; quem cū interrogasset, quò festinaret; respondit ille: Ad concambium, ante messem, ob necessitatem pauperum, pecora nostra occidimus, calices & libros nostros oppignorauimus; modò Dominus misit nobis hominem, qui nobis tantum auri dedit, vt ei quantitas in duplo erogatis respondeat; vnde vado illud cambire pro argento, vt ex eo pignora nostra possim redimere, & greges reparare. Tria hæc exempla dicta sunt contra illos, qui viros claustrales iudicāt de auaritia. APOLLONIVS: Nūc primum intelligo quid sit, Date, & dabitur vobis. *Luc. 6.* CÆSARIUS: Non intelliges perfectè, nisi in futura vita quādo pro terrena substantia, quam pro Christo dimisti, siue pauperibus in illius nomine dedisti, recipies regnum,

* Alias
Vvolms-
steine.

Luc. 6.